

Dissertatio inauguralis medica de morbis aulicis / [Samuel Friebe].

Contributors

Friebe, Samuel.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hendelii, [1726]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aay7w9g2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.


**wellcome
collection**


Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



23, 587 / B


C. IV. c
12





Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30547398>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
 DE
MORBIS AULICIS,

QVAM AUSPICE DEO PROPITIO
Auctoritate Gratiſſe Facult. Medicæ,
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
Præſide Pro-Reſtore Magnifico

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
 Sacr. Maj. Reg. Boruſſ. Aul. & Conſiſtor. Magdeb. Conſiliario,
 Med. & Philoſ. Nat. Prof. Publ. Ord. Acad. Nat. Cur. Collega,
 Societ. Reg. Berol. Scient. Sodali, &c.
 Facultatis Medicæ Decano ſpectatiſſimo,
Dn. Patrono, Præcept. ac Promot. ſuo honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Hor. Loc. conſuetis A. 1726. d. Octobr.
Publicæ Eruditorum Ventilationi ſubjicio
 Auctor & Reſpondens

SAMUEL FRIEBE,
 Landshuta - Sileſius.

En! Flores, Minerae, Animalia dat Medicina.





PROOEMIUM.



UT iidem singulis hominibus ac gentibus non sunt mores, eadem indols, eidemque vivendi genus: ita nec iisdem morbis, quos sibi quasi peculiare, intra sinum fovent, blandique enutriunt, affligi eos videas divexarique. Quid enim rerum usu comprobatur magis, quam singulas hominum ætates suas contrahere afflictiones, suis urgeri incommodis Temperamenta, suis utrumque sexum infestari premique calamitatibus, suis denique stationes vitæ singulas compungi excruciarique malis? Norunt hoc Agricolaë, queruntur Opifices, execrantur milites, obstrepunt Classarii, experiuntur Academici, perferunt eruditi,

alii cuicumque vitæ generi addiæti; quos omnes sui manent labores, suæ ægritudines, non nisi saniore corporis cura facile mitigandæ, deprecandæ, defendendæ. Quibus extra omnem dubitationis aleam positis, si cunctorum naturam atque indolem quenquam evolvere, & sub justam examinis incudem juvaret revocare, facillimo perspiceret negotio, nulum nimirum morbum forte fortuna, aut sine causarum antecedentium nexu & cohæsione cuiquam obtingere; verum pro sua quemlibet & dispositione, & vitæ genere, qualecunque illud demum sit, valetudinarium esse; haud secus ac si certæ personæ, gentes, nationes, suis familiaribus, & quasi domesticis alligarentur afflictionibus. Inprimis vero in signi quadam ratione personæ illustriores, quæ Regum ac Principum latus claudunt, hujusmodi perterritantur affectuum generibus, quæ licet ab aliis etiam hominibus interdum non sint alienissima, tantum tamen abest, ut pullulent ex suetis ipsorum, quæ profitentur studiis, ut potius renunciationi pristini operis, novæque rationi vitæ (lautioris forsan & mollioris) affectatæ, originem ferant acceptam. Quod autem nitidissima illa, elegantissima & tantum non divina hominum progenies, quæ Aulam sequitur, tam inconcinnis sæpe numero atque funestis corripitur, interpelleturque morborum spiculis, sibi quasi peculiaribus, perversa hominum, sacratissimis Principum aulis abutentium consuetudo in causa est; qui malo more divinam illam omnium rerum affluentiam

tiam & beatitudinem ideo suas profundere opes volunt, uti sexcenta sibi suppetant irritamenta malorum, sitque adeo, unde morbidi, vitæ male actæ cum acutissimis doloribus, poenas luant omnium, gravissimas. His apud animum probe expensis, consultoque *Illustr. Dn. D. Stablii Propemptico inaugurali, de Morbis Aulicis, Clarissimique Carl. Tr. de Diæta, speciatim aulicorum*, non abs re fore existimavi, si cum consensu Gratiofissimi Medicorum Ordinis Speciminis Inauguralis loco, pauca quædam prælibarem de MORBIS AULICORUM; spe fretus certa, fore, ut Lector Benevolus, si quid erratum fuerit, æqui bonique consulat, neque omnem hac me voluisse opella rem exhaustam, sed pro mearum virium tenuissimo modulo demensum esse, bona sibi dictum velit pace, est quod enixe deprecor. Quod reliquum est Omnipotentem Universi hujus Moderatorem DEum supplex veneror, cœptis adsistat laboribus, ut ex levidenti hac commentatiuncula, vel aliqua saltem utilitas ad bonum publicum exoptatissimo redundet fructu.

§. I.

DE Morbis Aulicorum verba facturo, adeo vastus aperitur Campus, ut si omnes & singulos iusta censura proferre & inquirere vellem, verendum, ne fœcunda hæc materia in immensam fere excrescat molem, id quod vero præsentis instituti modus haud æque permittere videtur,

detur. Quare depravatos voluntatis humanæ motus & affectiones, perversos & corruptos eorum mores, projectam a vero virtutis tramite deviandi libidinem, qualem cunque, nefanda, quæ ex illa dissoluta morum disciplina oriuntur, scelera atque flagitia, honestis animis prorsus detestanda, discursu quodum morali & Philosophico disquirere, culpæ, perstringere, merito ut a scopo Dissertationis nostræ alienissimis supersedeo; Scholisque Interpretum divinorum Oraculorum aliorumque, qui Sanioris Philosophiæ moralis principia profitentur, comitanda censeo. Potius eos duntaxat errores, vitæ sanitatisque negotium interpellantes & in periculum adducentes, motus actusque naturæ, graviter interturbantes ac evertentes paulo accuratiori in præsentiarum examini subicere placet.

§. II.

Sanitatis autem rationem, non in iusta tantum animi integritate, serenitate, tranquillitate, verum etiam efficaci & sufficiente virtute agendi, partium corporis solidarum ac organorum cuius ætati & sexui respondentium, illibata constitutione & structura, eorundemque conformi & decenti motu, ac exinde dependente partium fluidarum (sanguinis scilicet reliquorumque humorum) æquali & temperato transitu, quo se- & excretionibus debito ordine perficiuntur, verbo, in omnium actionum tam animalium sensus nempe ac motus, quam vitalium, pulsus cordis & respirationis decenti vigore consistere, quis est quem ex attentioribus naturæ humanæ cultoribus ac indefessis artis salutaris sectatoribus lateat? Terque ergo quaterque beatos deprædicamus illos, qui integra corporis valetudine gaudentes, non minus sollicita cura eandem illibatam conservare allaborant; contra miserimos & vere infelices clamitamus eos, qui impurissimo scædarum libidinum æstro perciti, nature

ruræ suæ scientes volentes vim inferunt, corpusque robustissimum, vigore suo nativo indignissime defraudant.

§. III.

Præmissis hisce claret, universum vitæ naturalis sustentandæ ac conservandæ fundamentum versari in exquisitorum alimentorum justa, debita & ordinata ingestione, ac inde facili & legitima solutione & digestionem, aëris temperati puriorisque electione, motus, quietis, somni vigiliarumque debita usura, Animi serenitate & modestia, denique in humorum retinendorum & excernendorum legitima purificatione & abstersione: Immodicum verò rerum harum modo recensitarum usum aut neglectum, universum vitæ & sanitatis negotium funditus destrueret, notius est quam quod notissimum.

§. IV.

Quotus autem quisque versatur in magnatum aulis, qui modo allatis cautionibus & regulis sobrie utatur? ut potius ruere eos videas in quævis alia, præceptis istis e diametro adversantia. Non facile pigere eos videas improbissimarum, animi corporisque contentionum, non intempestivarum vigiliarum. Agunt enim, ut sit, quod egisse brevi eos poenitere queat, aut quod actum, vanum notare & prodere possit autorem, aut quod suas incassum consumpsisse vires & profudisse censeantur. Ac uti ingenue fatear omnia istorum hominum molimina, quamvis etiam sollicitudinem mentiantur, subtile sapiunt otium, quandoquidem enim rebus feriis, quas obeundas habent parce defunguntur; commessabundos potius celebrant coetus, crapulantur, debachantur, totas extrahendo dies noctesque tripudiis indulgent: quæ omnia tanta animi contentione exequuntur, ut juret aliquis potissimum Aulicorum munus esse meditari: qua facillima expeditissimaque via mortem oppetere liceat.

§. V.

§. V.

Iam vero quæ Thesis proxime præcedentibus sparsim discinctaque quadam ratione in medium fuere allata, colligenda erunt & uno fasce proloquendum; quæ nam cum primis mala Aulicos pro ratione vitæ consuetæ teneant divexentque. Et principe quidem loco omnes inter primas tenet Plethora, quam insignes humorum Orgasmi, vehementioresque sanguinis commotiones haud raro excipere solent. Huc accedunt varii motus erronei à principio corporis agente, vel intensi, & exacerbati, vel remissi, aut plane omissi; quibus non immerito quoque vitia illa circa primas regiones his hominibus quam maxime solemnia jungo. Proveniunt enim ex his ceu communibus in morborum aulicorum fontibus & primis fundamentis, innumera adhuc infirmitates, & afflictiones, quarum principales brevi quodam catalogo recensere operæ pretium duco. Atque adeo Caput variæ Cephalalgicæ vertiginosæ, Paralyticæ, Apoplecticæ, obliuiosæ & somnolentæ infestant affectiones. Pectus occupant, varia Catarrhalia Pathemata, diurnæ tusses, quæ sæpius quoque instantem Phtisin prælagire solent. Circa abdomen præcipue ventriculi & intestinorum vitia, Atoniam nimirum, ructus, vomitum, flatulentias, Anorexiam, acutissimos dolores Colicos, Iliacas passiones, Diarrhœas, viscerum quoque scirrhos & infarctus, dolores calculosos & Nephriticos haud raro observamus. In artubus conqueruntur de Podagra, Chiragra aliisque Arthriticis doloribus; in toto denique corpore multifariæ febrium species, hæctica quoque oboriri solent, quæ omnia & singula in subsequentibus juxta suas causas atque origines accurate ordinateque brevibus tamen pertractanda, partium esse mearum duxi.

§. VI.

Interea ne omnibus omnino Aulicæ vitæ deditis injuriam facere videar, merito hoc loco excuso illos, qui

qui sic ferente gentium principumque statu magnificentiae & splendoris ergo, partim ut aliorum, quorum res in tam lauta ac bene aucta parte non sunt positæ, fortem penes se emineant; partim ut eo majorem subditis reverentiam sui injiciant, exterisque fiant admirationi, faciendis sumptibus minime parcunt. Nec in illos inveho, qui medias inter libidinum illecebras, temperantiam potius quam luxuriam sectantes, suasu impulsuque aliorum sexcenta illecebrarum genera vane infufurrantium, neque a veræ virtutis neque decentis diætæ tramite se abripi patiuntur; sed potius cuncta hortantium molimina intra pectus eludunt. Iis enim, qui scopulos hosce salvi evadunt, sponsores esse volumus, fore, ut à memoratis incommodis, quæ in præsentiarum morbos Aulicos inscripsimus, tuti sint atque immunes.

§. VII.

At enim, quod enarratæ ægritudines in multis aulicis variant, imo quod haud pauci, licet crassissimos semper in Diætâ committant excessus, tamen ab iisdem non adeo affligantur, id partim eorundem constitutioni, vitæ generi, & alimentorum disparitati; partim quoque, si dicendum quod res est, naturæ quasi violento modo inversæ, debetur. Etenim qui natura sunt debiles, emaciati aut multis jam malis obnoxii, ii quoque suo damno, levicula data occasione, horum adfectuum exacerbationem sentient; qui vero sunt robustiores, ac fere his rebus jamdum indurati, ii profecto hujus generis mala per longum temporis spatium effugiunt; venit tamen hora, qua de improvviso vitæ maleferiæ promeritas exsolvunt poenas; inprimis si inopinatam atque subitanam vitæ generis ante sueti illos subire oporteat mutationem: a luxurioso enim consuetoque vivendi more atque ratione abscedentes, non possunt non, appetitui suo vago dum non ulterius obediunt, satis graves tunc temporis sanitatis experi-

riri poenas. *Conf. Illust. Dn. D. Stahl. Diss. de Consuetudinis Efficacia.*

§. VIII.

Propius inde ad rem accedendum atque fontes malorum horum speciatim investigandi. Monitum enim jam supra, posthabitam illarum sex non-naturalium rerum curam, cuncta fere in Aulicis mala progignere; hinc ductu earum cujusvis morbi causam & originem, accuratius expendere apud animum constitui.

§. IX.

Primo quod ad cibum & potum attinet, satis superque constat, corpus nostrum ad conservationem sui continuo flagitare sufficientem alimentorum copiam, qua interveniente, nutritionis opus eo feliciter procedere possit. Quo interea non rite observato & esculentis, quæ palatum saltim juvant, seu fluidis seu solidis invito sæpe Stomacho obtrusis, haud raro contingere solet, ut universum nutritionis turbetur & intervertatur negotium.

§. X.

Et vero hæc intemperies in cibo & potu, si cui alii hominum generi est familiaris, certe Aulicis ceu propria erit addicenda. Affuefacti enim illi homines mensæ continuo dubiæ, laxant, distribuunt, dispensant, appetitum vagari patiuntur, modo hinc modo illinc quicquam prælibantes; Securi interea, corpusne inde aliquid capiat vitii an ferat commodi, modo non præsentem noceat. Unde fere nihil fastidiunt magis, quam audire citantes & commendantes Medicos certam definitamque aliquam ciborum, quantitatem, qualitatem, tempus & modum, persuasi, proficisci hoc sive ex invidio & scrupuloso quodam ingenio, sive ex corrupto Medicorum gustu, ut quod ipsorum non sit ad palatum velint, ut alii quoque respuant. Quam misere autem isti homines sese decipiant, experiuntur omnino illi, qui nimia edacitate & alimentorum, forsan
etiam

etiam non adeo noxiorum, quinimo blande nutrienti-
um immoderata continuo ingestione Plethoram sibi con-
traxerunt, fecundam multorum malorum matrem: vi-
ctus enim si indies & in horas singulas velut mutatur, sub-
ministrando identidem opipara omnis generis bellaria,
res varias dulciarias tot aromatum generibus conditas &
temperatas, efficitur, ut non possint non contraria hæc in-
vicem sua natura peccare, negotiumque digestionis
depravare: quæ omnia quia dulcia commixta sunt a-
mans, quadrata rotundis; vetus suo ordini adsueta
natura ægrius incipit ferre, ac variis insolitisque ventri-
culi conquassationibus, ingestorum itetrum meditatur
conaturque expulsionem, unde Anorexia demum, nisus
vomitorii seu vomitus ipsi oboriuntur. Accedit & hoc
dum circa tempora capiendi cibum haud leves commit-
tunt errores, neque ordinem servant neque modum, ut
digestionis evertant negotium, ventriculi vitale & natu-
rale destruaturobor, & ex hujus atonia, visciditatibus
cruditatibusque primarum viarum pandatur porta, appe-
titus minuatur, bilis augeatur, unde fermentescentiæ &
flatus procreantur, ac exinde variis intestinorum Colicis
ac Iliacis incommodis ansa subministratur.

§. XI.

Idem quoque Judicium esto de potu, sitis restin-
guendæ, facilitandæque solutionis ergo quam maxima
adpetendo; dum vero in Aulis eodem sæpius non ad ve-
rum huncce finem obtinendum, sed jucundi potius sapo-
ris gratia, & ut monstrent quis alterum in potando supe-
ret, quod isti exhilarationem adpellant, utuntur; sic pari-
ter & Quantitate & Qualitate, & Tempore quando potatur,
error committitur. Hac ratione vinum aliaque potulenta
generosa & spirituosam nimium hausta, non solum Pletho-
ram generant, sed eandem quoque mirum in modum
commovent, ut exinde vehementissimis orgasmis & vio-

lentioribus Massæ Sanguineæ expansionibus non levem ministrent fomitem, unde Hæmoptyses & aliæ Hæmorrhagiarum Species, Phthisis, inflammationes & febres ortum suum nanciscuntur.

§. XII.

Eadem quoque ratione potulenta, Qualitate peccantia, & sine ulla temporis cura adsumta, varias in corpore ciere solent turbas, quando nimirum Spirituum æstuosiorum, acrium, acidorum, dulcium, flatulentorum & fermentescentium matutina, vespertina, imo nocturna & continua fere ingurgitatione in corpus suum debacchantur, sequitur ut naturæ antea jam fervidiores & calidiores, eo magis in actibus suis inflammentur, ut postmodum non solum incongruas ad diversas partes congestiones, sed & varios irregulares in corpore intendant motus, & exinde tremores artuum, Spasmos, Rheumatismos, Podagram, dolores Arthriticos nephriticosque ac ipsum demum calculum gignant. Accedit & hoc, ut, si vinum fuerit sulphure narcotico nimis imbutum & imprægnatum, ad vertiginosos capitis dolores & adfectus soporiferos facillimo disponantur negotio. Ex avido autem frigidiusculorum poculorum vel aliorum variorum refrigerantium liquorum in aulis usitatorum haustu, prægressa cum primis incitatissima corporis agitatione & sanguinis effervescentia haud raro principium in corpore agens conturbatum, opus consuetum violentius tractat, adeo ut sanguinem vi quasi in incongrua loca trumat & periculi sæpius plenissimos viscerum moliatur infarctus.

§. XIII.

Aërem externum, in quo non solum homo per vitæ suæ totius curriculum versari, sed eundem quoque pulmonibus attrahere & excipere necesse habet, quod attinet, hic quoque, dum pro diversa sua temperie, insigniter variat,

riat, ut modo humidus, modo siccus, modo calidus, modo frigidus impendeat; sequitur omnino, ut hoc neutiquam sine corporis humani fieri possit alteratione: quare merito quoque indicandum censeo, qua ratione fiat, ut hancce aëris subitaneam vicissitudinem atque mutationem varii quoque generis excepant adfectus.

§. XIV.

Quilibet equidem harum rerum gnarus, haud ibit inficias, quam maximam in corpus humanum energiam exercere, repentinam vehementiusque impulsam aëris mutationem, seu potius ubi allabatur frigiditate sua corpus velamentis solutum exterioribus quod aestu suo adhuc calet & quasi fumigat. Si enim sanguis nimis calore expansus rarefactusque repente exponitur frigori, natura subito percussa, regurgitationem humorum interiora versus suscipit; quo postmodum sanguinis eximia quantitas, veluti incarcerata, stases, coagulationes causatur atque infarctus.

§. XV.

Nuspian ergo magis quam in aulis temperati aëris observantia postponitur negligiturque, quandoquidem ibidem homines variis vitiosis aëris alterationibus se exponentes, gravissimis, nec raro etiam fatalibus implicentur afflictionibus. Quid quæso illis est solennius? quam cibus repletum gementemque ventriculum, aut omne prorsus corpus, sub ipsum digestionis alimentorum exordium; accedente præterea vinosa sanguinis incallescencia, frivola & insuper habita Athmosphæræ frigidæ admissione subito percellere, totum fere ut obrigescat, quibus Chylificationis opus parum promovetur, imo variis febrilibus commotionibus omnes aperiuntur portæ.

§. XVI.

Cumque præterea non omnibus aulicæ vitæ deditis,

ea obtingat felicitas, ut sævientibus tempestatum injuriis, habitaculis semper, temperato aëre repletis uti queant; non abs re fore arbitror, si quoque de noxis ex itineribus in eosdem redundantibus pauca quædam in medium afferantur. Jam vero omnibus notum est, cum non Principes, multo minus ipsorum Ministri, qui latus eorum claudunt, dominari aut imperare tempestatibus possint; ut ferre potius teneantur, injuriarum quicquid & incommodorum cœlum in ipsorum expeditiones aliaque itinera minitetur effundendum immittendumque: non possunt non quandoque inviti licet, liberiori aëris allapsui exponi, quo fit, ut nebulas variis effluviis miasmatum, que generibus imprægnatas, imbres, nives, subeant: harumque rerum omnium momentaneas quasi mutationes & alterationes, experiantur, hacque ratione insigne sanitatis faciant detrimentum. Quapropter ab aëre frigido humidoque externæ corporis partes nimis relaxantur, humores in iis contenti retardantur, retardati condensantur; unde deinceps facillimo negotio Catarrhi, ruffes, Coryzæ atque gravedines generantur. Eadem quoque ratione, si v. c. calet aër subitoque mutatur in frigidum, occulta transpiratio supprimitur, justæ impediuntur excretiones, & sordes variæque quisquiliæ in corpore colliguntur; quæ si postea (aut ubi citato eques fertur equo aut curru vehitur impositus rapidissimo:) agitantur, majorem adhuc nocendi vim adipiscuntur & innumeris aliis malis ansam præbent.

§. XVII.

Ordinis in præsentiarum quoque jubet ratio, transitum ut faciam ad motum corporis & quietem, quæ pro circumstantiarum variatione tum ingens emolumentum tum detrimentum corpori conciliare possunt. Cum enim quotidie, imò per cunctas fere horas, sordes & excrementitiæ partes in corpore nostro generentur; certe per

per hoc etiam immensum cumularentur, ut mole sua tantum non ipsum corpus opprimerent, nisi per consuetata loca egeri, atque se & excerni iterum possent. Eum in finem provida natura moderatum & æqualem exigit motum, quo nimiam sanguinis quantitatem distrahere, organa in continua flexilitate conservare, facilem ac expeditam humorum per eadem transmissionem & distributionem parare queat, quo ipso sordes non solum Massæ sanguinæ innatantes, sed etiam partibus porosis in hærentes, continuo attenuatæ abstergantur.

§. XVIII.

His ita se habentibus neminem forsan fugiet, assiduam exadverso & diurnam corporis quietem, haud pauca œconomix vitali creare damna atque facessere molestias. In ea siquidem, si modus exceditur, tonus & robur partium solidarum perit, humores lentore adficiuntur, se-& excretiones tarde procedentes plane supprimuntur, ac insignis demum obvariarum hæterogenearum partium remanentiam, humorum Dyscrasia haud evitari potest. Quid tandem quoque dicam de spissitudine sanguinis, ex vita hac sedentaria & laborum plane experte, proveniente? in sexu sequiori, accedente imprimis prava Diætæ & Animi pathematum administratione, non tantum mensuram suppressionem, verum etiam intolerabiles cruciatus hystericos excitante. Id quod imprimis nobilioribus & delicatulis, commoditatis (quam dicimus) & prave consuetudinis ergo otio & quieti deditis, frequentius, quam aliis vilioris fortis hominibus cuncta laborum genera subire coactis, contingit.

§. XIX.

At enim vero quemadmodum lenis, æquabilis, modica & continuata corporis motio insignem utilitatem adfert, ita e contrario, si sit vehemens, immodica, inæqualis, & sub sudoribus

ris in primis largissima missione subito remissa, varia mala post se trahit. Hinc plurimos Aulicorum, vehementioribus equitationibus, venationibus, saltationibus in seram usque noctem protensis, aliisque violentioribus motuum generibus distractos pessima sibi accelerare damna videas: Plethoram enim cibus jam probe adauctam, violentissimis quibusque agitationibus & ebullitionibus commovent; deinde corpus madens, & sudore sæpius fluens subito iterum denudantes potusque frigidus insuper ingurgitantes, stasibus, febribusque ardentibus paratam monstrant viam.

§. XX.

Fœcunda porro plurium malorum mater est, incongrua, (ceu consuevere multi Aulici) somni vigiliarumque dispensatio. Etenim in eo conspirant omnes Medici Aulici, cœteri, sanitati somnum velificari quam maxime, ut pote quo tempestive, moderate sufficienterque adhibito, corpus non modo viresque insigniter refocillari, sed & animum ad agendum eo alacriorem reddi; sensus tam internos quam externos, suis laboribus distractos & profligatos, mulceri, colligi, refici; unde functionum utriusque generis merito fieri inducias: cum enim cibus & potus, ad vitæ nostræ conservationem queis utimur, non omne conficiant negotium, requiri omnino, ut quod solus cibus, solus potus præstare nequeant blanda per somnum quiete farciatur. Sed in hoc licet plurimi consentiant, prout consentiunt; interea quod moderamen & temperaturam in somno servandam æquabilem, attinet, adeoque usuram & modum, præter salutaris Artis Antistites, Aulici alique in contrarium nituntur ac dilabuntur.

§. XXI.

Sic vident quidem meliora, probantque, interea sequuntur tamen deteriora, perpetuumque illum naturæ ordinem

dinem contrariis actibus continuo eunt inversum, ni-
 mium sibi placentes Aulici somno vel nimium vel ju-
 sto minus, vel intempeſtively indulgendo, aut vero cu-
 ris & ſollicitudinibus inſuavem efficiendo. Gene-
 ratim deſignari quidem vix poterit, quod temporis dare
 quieti & ſomno cuiſvis conveniat; hoc autem dici po-
 teſt, tantum decere quemvis, temporis dulciſſimæ im-
 pendere quieti, quantum cujuſvis natura, conſtitutio
 ratio temperamenti poſtulat. Adeoque multum in eo
 ſitum eſt, ut norit quiſque, quid, quantum ſuæ per ſom-
 num naturæ debeat. Verum cum in Aulis, ut ſupra jam
 monitum tam circa tempus, quam defectum & exceſſum
 ſomni luculenter peccetur, damna exinde reſultantia
 ſilentii peplo neutiſquam erunt involvenda. Sane quod
 ipſum ſomni tempus concernit, quid quaſo frequen-
 tius ibidem, quam ut ex nocte diem faciant, ex die
 noctem? Multos certe videas juſtum quietis tempus
 negligenter habere, noctem totam commeſſando de-
 bachando extrahere, diem deinceps quod contra na-
 turæ ordinem eſſe videtur, quieti deſtinare, ipſa enim
 illa Natura, tunc temporis ob functiones varias vita-
 les in ſumma activitate eſt conſtituta, hinc, ubi ſom-
 ni deſiderium explere non datur, extraordinaria laſſi-
 tudine & torpore, capiuntur. Idem quoque judicium
 eſto de ſomno pomeridiano, quem quidem indifferen-
 natim rejicere vix audeo. Quid enim impedit, ſi vacet,
 quo minus ejuſmodi homo, qui plures forſitan noctes
 in aulae gratiam continenter duxit inſomnes, ſom-
 no aliquando invitatus ſuſvi a prandio lecto ſter-
 natur & reſparet, quicquid attritarum virium labſcere,
 fugamque adornare minitabatur; cum experto cuilibet
 notum ſit, adhiberetur moderate ſomnum ſuaviſſime omnia,
 in priſtinum, unde deturbata fuerant, ſtatum reducere. At
 enim vero hoc de illis neutiſquam dictum eſto, qui vel in-

temperanter nocte dieque ventriculum cibo potuque obſtipant & onerant, vel per totam noctem, in utramque aurem ſecuri dormiunt; pigrique, ſegnes, torpidi pravæ conſuetudinis ergo requiei pomeridianæ arctiſſimo ſepulti ſomno, pluribus horis indulgent. Poſt prandium enim natura circa concoctionis negotium occupata, ad faciliorem ejus ſublevationem majoremque ſanguinis circuitum, vehementiorem cordis & arteriarum pulſum excitat, unde nullus jucundus ſomnus, ſed laſſus quaſi & variis moleſtis inſomniis, ac terroribus involutus oboritur. Ex adverſo & iſtud nunquam fallit, Aulicos, creberrimis dum diſtinentur vigiliis, ſenſuum tam internorum, quam externorum (eo quod continuo intenduntur;) robur & aciem hebetare, retundere, perdere; Unde deinceps in œconomia vitali variæ concitantur turbæ, melancholicis, aut maniacis non adeo abſimiles adfectus. Eadem quoque ratione & iſte eorum taxandus venit mos, qui in capiendo ſomno egrediuntur modum atque non raro pœnitendos ſuorum exceſſuum ſentiunt effectus, quo animus torpidus redditur, ac ſocors, fibræ laxantur, fluxilitas humorum perit, ac inſignis exinde eorundem Dyscrasia non ſine graviore excretionum debitarum incommodo reſultat. Neque iſtud ſomni genus utentium veſtificatur commodo, quando ebrii ſæpe numero mentis ſere haud amplius capaces, lectis injiciuntur, ignarique omnium quod agant, reclinato deorſum vertice ſtertant, caput enim fit ſtupidum, corpus ad incubum diſponitur, ut taceam pollutiones nocturnas tunc temporis longe frequentiores eſſe.

§. XXII.

Neque vero exigui ſunt momenti errores, quos aulici ſæpe circa moderationem animi adfectuum committere ſolent. Dixerim ego haud ſine ratione, majorem, ſi non maximum exinde morborum in iſtis hominibus proven-

ventum ac modum enasci ; singularemque ita dictorum animi Pathematum efficaciam & energiam esse ac deprehendi. Quid enim ira, invidia, metus, tristitia, similesve affectus valeant, norunt illi, qui continuo iisdem abripiuntur & opprimuntur. *Conf. Illustr. D. D. Stahl. Dissert. de Passionibus animi corpus varie alterantibus.*

§. XVIII.

Inveniemus ergo in aulis aliquos homines, quos cupiditas emergendi, honores consequendi aliisque dominantium, ita invasit, ut exinde perpetuis quasi occultisque æmulationis stimulis lancinati vitam degant, qui cum plerumque si temperamenti rationem spectes, sint Cholericis, hinc continuis, diversissimis, profundissimis meditationibus occupati, corpus & animum debita sua fraudant quiete; quod vero non potest non utriusque generis virium prostrationem inducere summam. Imo quoque dum in iram leviculis sæpenumero de causis dantur ac effunduntur, sanguis subito a centro ad Peripheriam fertur, circuitus ejusdem præcipitatur, vasa intumescunt, & ob frequentiore bilis in intestina effusionem ejusque iterum ad sanguinem reversionem facillimo negotio Icteri labe adsparguntur. Sin vero jam conceptam dissimulare, premere, pressamque, ne prorumpat, continuo objurgare rei postulet ratio; presso insequuntur pede Cardialgiæ, palpitationes cordis, tremores artuum, ac totius fere corporis debilitationes. Ita quoque proh dolor! tristitia, tacitus mœror, indignatio & princeps in Aulis invidia (quæ quidem corpori tantum adfert noxæ in evetendo Chylificationis & nutritionis negotio, quantum vix nocentissimum toxicum) ita incessit plurimorum animos, ut latentium igniculorum vellicatione jugi & efferatione pedetentim paulatim exsiccati inarescant quasi & consumantur: quibus deinde accedit, uti cum ipse malevolentia sua aliorum sibi rectum accelerent odium o-

omnes fere improbissima cum solitudine extimescant, de-
que expediendorum successu admodum incerti, turbu-
lentissimum indigna ratione transmittant ævum. Quæ
certe omnia si in longum nimis protrahantur, periculum
est, ne totius corporis vitale sensim sensimque labefactent
robur, tonum & vigorem fibrosarum partium tollant; qui-
bus amissis lentus inducitur sanguinis progressus, qui de-
mum stagnationes, obstructions, infarctus & indurationes
viscerum, Melancholicos aliosq; chronicos ponit adfectus.

§. XXIV.

Ultimo demum loco pauca quædam addimus de iis,
quæ eruditi vulgo retenta & excreta vocant. Cum enim
alimentorum ingestorum partes quædam in varia excre-
menta, quædam vero in succum corporis nutritium sive
chylum, ab omnibus omnino particulis excrementitiis
nec dum liberatum, abeant ac dispensentur; provi-
da natura varia in corpore nostro posuit colatoria, quorum
ope ac ministerio, utilia ab inutilibus, pura ab impuris se-
gregantur, ac demum variis, quibus ea utitur, stimulis
& visibus ex universa humorum massa propelluntur ac pro-
scribuntur. Verum quis nescit? & hoc sanitatis tuendæ
principium nobilissimum perversissima subinde ratione
administrari, adeo ut excernenda haud raro retineantur &
retinenda cum damno excernantur.

§. XXV.

Quod enim excernenda primum attinet, nihil fere
magis in more positum esse Aulicis, scimus quam ut præ-
sentibus in conversatione Illustrioribus, ex itempestivo
quodam pudore, utut a fæcibus continuo exstimulati,
commodam proripiendi subducendique se tantisper oc-
casionem circumspicere pigrentur; fœmellis præcipue
imaginarie huic verecundiæ superstitiose deditis, exi-
stimantibus, totam eam si quisquam resciverit, alvum
fuisse exoneratam, iri extinctum. Retulis interea repres-
sisque

sisque hisce naturæ stimulis; fæces mittendæ, diu vero ni-
 mis retentæ, avolantibus magis magisque humidioribus
 partibus ad lapideam fere substantiam indurantur molesti, &
 que sæpe numero atque fatalibus alvi obstructionibus, an-
 sam subministrant. Huic malo mori accensemus etiam il-
 lum, si quisquam lotium reddere solito diutius moretur.
 Quid autem obstinata hæc Urinæ suppressio damni secum
 vehat, experiuntur cum primis ii, qui calculosis pathema-
 tibus jam dum tentati gemunt, aut pertinacius iisdem u-
 runtur; qui vero ex hisce doloribus actu nondum labo-
 rarunt, ad eos tamen præviis Dysuria ac tandem Ischuria
 haud difficulter prædisponi possunt. Idem quoque di-
 cendum de naturalis sudoris & transpirationis occultæ,
 cujus beneficio corpus a variis quisquiliis repurgatur, in-
 terpellatione. Pessime enim consulunt sibi, qui subita-
 neo frigori, æstuans toransque sudore corpus exponen-
 tes, exhalationem illam minus expeditam reddunt, inter-
 cipiunt aut plane reprimunt, quo ipso has sordes in cor-
 pore congestas natura per alias vias & emunctoria egere-
 re coacta, varios exinde Catarrhos, & Diarrhoeas pericu-
 li sæpe plenissimas, inducere solet. *Conf. Illust. D. D. Stahl.
 Dissertat. de Transpiratione impedita.* Imo denique Hæ-
 morrhoides per spirituosiores horum hominum diæ-
 tam, licet sæpius in eorum salutem apertæ, sed inordi-
 nato hoc vitæ genere iterum suppressæ, Colica, Iliaca,
 & alia acutissima abdominis mala haud raro gignere so-
 lent.

§. XXVI.

Circa retinenda pauca saltim monenda veniunt; nisi
 huc trahere velis humoris cujusdam utilioris, salivæ sci-
 licet prodigam largamque excreationem. Equidem
 mos ille jam fere ubique locorum receptissimus minime
 omnium est approbandus, immani qui Nicotianæ usu &
 fumigatione, nullo discrimine habito liquorem illum sa-
 livalem

livalet pretiofum, a Natura longe nobiliori ufui deftinatum eximio cujusvis profundere damno docuit; quo alimentis digerendis naturale fubducitur menftruum totumque poft affumtum cibum corpus torpidum redditur. Haud abfimilem quoque noxam ferunt ifti homines, ex infano pulverum fternutatoriorum abufu: quantumvis enim evacuandi pituitam, proluviem pravorum humorum detergendi, nifusque Catarrhales defendendi virtus iisdem deneganda non videatur; vifuntur tamen haud pauci, qui nefcio quo malo aliorum more invitati nulla fere urgente neceffitate fingulis momentis naribus pabulum iftud fuum obtrudunt, quo demum ipfo, dum ferum nafale quovis momento proritatur, naturam eo adigunt, uti continuis his vellicationum ftimulis, jugem mittendo humorum affluxum cum infigni cerebri defatigatione obfecundet.

§. XXVII.

Plura de aliis, quæ patiuntur multi Aulici in fanitate tuenda, prudentiæ deliquis, certiffimis aureæ falutis detrimentis ac feductionibus, non addo. Ecquis enim omnium caufarum, aut externarum violentarum, ut ecce collisionum, indignationum, digladiationum, cæterarum; aut contagiofarum, quæ per impuram communicationem ex uno corpore in alterum commigrant corpus & trajiciuntur v. c. per lectos, ftragulas, veftes, fellas, culcitra, ephippia, atque adeo inftrumenta & vafa efcaria & potatoria: ineat numerum? Quare non eft animus, morbos de composito etiam hic, licet concifim recensitos & pertractatos figillatim repetere, novo examini fubjicere, aut prolixè docere; qua ratione Aulicus ejuſmodi homo morbos fuos rite & decenter debeat tractare. Nemo iſtudem arbitrari fuo poterit defiderare, ut fingulorum affectuum hætenus recensitorum ſpecialis ſuperaddatur medela; ſiquidem hic unumquemque ad autores Practicos,

cos, qui de his sigillatim & ex instituto egere, remitto. Exinde coronidis tantum loco regulas quasdam & cautelas ad Diætam maxime spectantes, non poenitendi usus subnectere lubet. Vitet modo quisque noxia & quæ salutaria sunt sectetur, vix ullo certe & tuendæ sanitati & conservandæ indigebit magistro.

§. XXVIII.

Auream exinde esse illam regulam: Principiis obsta fero medicina paratur; nemo æstimator rerum harum prudens unquam in dubium vocaverit. Quamobrem primi morborum insultus, initio quidem leves flocci pendendi neutiquam sunt, quia ut plurimum majores capiunt vires & altiores agunt radices, quas vero uberiore & longo medicamentorum usu evellere & extirpare haud commode semper datur: quin tuum potius ingenium perdocebis, ne simplicem vitæ sanitatisque ordinem respuat atque corrumpat; quo tandem natura artificiosæ ejusmodi methodo invita adsuefiat: periculum enim est ne procedente tempore continuo factus valetudinarius, te haud sanum existimes, nisi indies certis utaris remediis. Hinc primis potius gliscentibusque morborum insultibus, qui Aulicos infestare solent primordiisque occurrandum est, quo velut in herba supprimantur nec agere radices altius queant; ut adeo sequela morborum dubia cum ipsis eorundem primis staminibus neminem occupet, sanitatique quam optime consulatur: sobrie quisque, moderate, temperanter se gerat, apposita cœnæ quam maxime dubiæ redundantia, eademque ex tempore & ordine utatur; occasionesque animum exasperandi concitandique omni ratione vitet; ne serius prudentiam isthanc damno suo condiscere teneatur. Plus enim hoc ipso & modo subnectendis, si rite observentur, proficiet, quam si præstantissimis, juxta ac sumtuosissimis, illis

illis universalibus remediis, Tincturis & Essentiis, ex auro aut gemmis confectis sese committat, continuoque eorum usui adsuescat.

§. XXIX.

Et ut a maxime solenni initium capiam, ex superioribus jam tum constat, ex nimia victus ingestione immanem morborum aulicorum exsurgere segetem. Adeoque primum omnium cibo potuque sobrie utantur, luxuriam & crapulam sollicitè fugiant, debitum in capiendis alimentis ordinem ac tempus servant; & si quid forsitan mali obvenerit, inedia & abstinentia hostem impugnent; neque facile digestis nondum nova denuo super addant. Cumque nemini ignotum sit, cum plerumque dici sanum, qui bene ingerit, digerit & egerit; hinc cœnæ prandiique tempore, sufficienti potu, dilutiori, probe defœcato & diuretica quodammodo vi instructo utantur, non insuper quoque habito modico inprimis post prandium, digestionem ciborum optime promovente, vini generosioris haustu. Temperantiam non minus in eo servant, ne nimia infusorum Théè & Coffè Illustrioribus quam maxime familiarium, quantitate menstruum ventriculi turbent atque debilitent.

§. XXX.

Præterea subitanea quoque aëris & tempestatum, ut ecce caloris in frigus, siccitatis in humiditatem commutationes & contra omni studio sunt cavendæ; quandoquidem hæ nostrum circumfluentes & influentes corpus malignos sæpe producere solent morbos. Neque vero nimis sollicitè circa usum & temperiem aëris sese gerant; adeo ut in eligendo calore plus justo sint anxii & superstitiosi, aut levioribus auræ cujusvis vicibus se subtrahant. Hac enim ratione tanta naturæ humanæ mollicies indu-

inducitur, ut vel exigua aëris variatio, eosdem graviter offendere possit. Qui vero ob educationem in aulis molliorem, sensibilibus teneriorisque sunt indolis, ii imprimis humido & nebuloso aëri se subducant, imo habitacula feligant liberiori aëris accessui exposita, superiorumque contignationum loca præ illis, quæ in imo terræ pavimento structa reperiuntur, exoptent.

§. XXXI.

Haud exiguum quoque sanitatis tuendæ præsidium & momentum, in movendo & exercitando corpore ponimus. Certi enim sumus, in hoc plus sæpe auxilii & levaminis esse inveniendum, quam in decantatis istis remediis, quæ ex penu hominum, arcanis suis clarissimorum, ad præstruendam præservandamque sanitatem vulgo depromuntur. Quare eam etiam ob causam rusticæ posthabito ut plurimum omni fere remediorum usu, sani & incolumes vivunt; ob vitæ enim suæ conditionem laboribus semper intenti, sanguinem in serum conversum, una cum sordibus per transpirationem ex corpore proluunt. *Conf. Illustr. D. D. Stahl. Diss. de Motus voluntarii usu medico.*

§. XXXII.

Quid quæso Aulicis nimia esculentorum mole onustis, antiquius aut prius esse debeat, quam motus? quapropter exercitia illa varia in Aulis reperiunda iisdem minime sunt dissuadenda. Attamen semper proportio est servanda, ut ii scilicet, qui cibi potusque grandiore modo utuntur, majori quoque motu corpus exercent. Ante omnia vero monendum, quod in omni statu moderata magis & repetita conveniat motitatio, quam for-

tior, repentina & cum turgescente humorum ebullitione conjuncta. Interea quamvis agitare corpus nimium, post assumptos cibos, insuetosque suscipere labores e re haud sit, moderata tamen motio mirum quantum commendanda. Iis autem, qui magis animi quam corporis laboribus distinentur, deambulando, vehundo, & equitando corpus ut exerceant, quam maxime suadendum est; quo obstructions & infarctus ejusmodi hominibus ut plurimum solennes, levi hac agitatione iterum referentur. Quies deinceps post motum fortiorem non statim affectanda, sed corpus adhuc aliquandiu leniter movendum, ut partes Sulphureo-Salinæ jamjam in motum actæ per transpirationem occultam eo commodius expelli queant.

§. XXXIII.

De Somno & vigiliis multa dicere, supervacaneum esse censeo; siquidem somnum inter & vigilias medium tenere optimum semper est remedium. Hinc sedulo cavendum ne utrumque horum in nimis longum protrahatur spatium. Inprimis vero illud somni genus prorsus dediscendum, cui post curatam & saginatam probe cuticulam, lubentes nos dedimus torpentesque ad elanguidam componimur quietem: quilibet enim ipso se teste novit, saginam bene multam, molestiis variis, insomniis terroribusque involutas ac pene vigiles secum vehere noctes.

§. XXXIV.

Animi vero Pathemata cum absolutum ferme in corpus, uti ex supra dictis clarum erit, sibi vindicent dominium; Ita hæc ipsa plus quam cæteræ res non-naturales Aulicorum sanitatem offendere solent. Dan-
da

da ergo erit opera, ut, quantum quidem fieri potest, quilibet Aulicæ vitæ deditus, sedatum & ab omni vehementiore commotione liberum gerat animum; iræ frœna non laxet, quin potius, quod male se habet, ex animo dimittat, alimenta post iram non statim capiat, sed corpus potius in libero & temperato aëre exerceat, ac cum aliis explicatioris sereniorisque frontis hominibus consuescat. Tristitiam porro nimiam & moerorem ut pellas, modicus idemque lenis vini haustus suum quam maxime confert, neque exigui sunt usus peregrinationes in alia loca institutæ, quæ conquasatam, meticulosam & tristiora sibi monstra figurantem mentem quodammodo divertunt, mitigant, sexcentisque aliis, quæ oculis objiciunt, oblectamentis fallunt. Ad extirpandam vero in aulis invidiam, Christianum hominem vix decentem, nulla melior regula suppeditari potest, quam ut quisque alterum amore debito & beneficentia complectatur. Hac enim ratione nec angustiarumque animo, nec vitam ipsam ante diem claudere necesse habebit.

§. XXXV.

Clausulæ loco adhuc monita quædam de justo, circa excernenda regimine superaddere instituti postulat ratio; Hinc in genere notandum: quod Venæsectiones & scarificationes imprimis si Plethora urgeat non sint negligendæ, consuetæ vero nunquam intermittendæ. Quod vero sudorem attinet sedulo inculcandum ne Autocratici isti Naturæ sudores, qui istis hominibus matutino sæpius tempore obtingunt, subitanea frigoris admissione supprimantur, sed decenti membrorum in lecto velatorum defixione curentur, ne conatus naturæ longe saluberrimi eiudantur atque frustrentur. Fæces alvinas

nec non urinam mittere & reddere nemo cunctetur, sed statim urgente naturali stimulo excernat. Demum Hæmorrhagiæ naturales, nunquam supprimantur; quare fluentibus in fœminis mensibus cibi acidi flatulenti & prævæ digestionis sedulo sunt vitandi suspendendique.

§. XXXVI.

Ex hisce ergo omnibus meditationibus satis ut puto elucescit, in quo verum & genuinum sanitatis Aulicos inter consistat fundamentum; & quam simplices ac paucæ sint regulæ ad illius conservationem necessariæ. Si quis igitur horum hominum prædicto modo tramite rite incedat, ac deviantes, quos tetigimus flexus præcipue vero noxia Animi Pathemata declinet, de eo nunquam dici poterit, ipsum sibi profligatæ sanitatis autorem, vitam cum gemitu ante diem misisse sub umbras indignabundam.

T A N T U M.

Errata.

- Pag. 3. Proœm. lin. 3. pro indols leg. indoles; & voc. seq. pro eadem leg. idem.
 Pag. 8. lin. 13. deleatur in
 Pag. 11. lin. 10. pro amans leg. amaris. ead. II. lin. 24. pro maxima leg. maxime.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
C A N D I D A T O

S. P. D.

D. JOANNES JUNCKERUS.

*E*st quod tibi letus gratuler, Amice honoratissime, de laudabili conatu, quo, tandem absoluto studiorum Academicorum cursu, industriam & eruditionem Tuam probare, e jusque documentum publicum in explicandis Morbis Aulicis edere contendis. Perlegi pleraque omnia, & quam diligenter graves eorum causas percensere, quamque solide Plethoram varie nutritam commotamve accusare Tibi curae fuerit, satis animadverti. Et profecto necesse erat, rerum non naturalium classem hic non leviter attingere, sed earum abusum eque ac potestatem fusius & perspicue demonstrare, ut Syrtes & scopuli, ad quos tot hominum nobilium & singulari dignitatis fastigio eminentium salus identidem naufragium patitur, in apricum proferrentur. Subit autem saepe mirari, cur tum

inaulis tam alibi ad leviora hujus generis omnes fere attendunt, graviora vero & sanitati frequentius infesta curare & præcavere paucis in mentem veniat. Nosti, Amice quæ potissimum causa e rebus n. n. ut sæpius moneo, reliquis prævaleat, aut saltem creberrimam ægotandi præbeat occasionem; & me tacente loquitur id experientia, ubique in illis, qui sedentariæ vitæ genus sequuntur, omnium oculis exposita. Paradoxon fortasse & improbable quibusdam videbitur, si & inde plurimorum aulæ morborum originem arcessere sustineam; At enim vero omissis aliis huic rei stabiliendæ idoneis, quid est præcipue inter externa valetudinis offendicula, quod nobiles fœminas præ viris frequentius debilitet adfligat & medicam opem sæpe frustra efflagitare compellat? An aër impurus, squalidus, turbulentus? quem adeo fugiunt, ut nihil sibi formidolosius esse fateantur; An reliquæ tempestatum injuriæ? quas tam raro subeunt, & si forte in itineribus metuendæ sint, magna sollicitudine a corpore suo arcere perdoctæ sunt; an ciborum qualitates scrupuloso semper examini subjectæ? an abundantia victus? in quo capiendo longe minus & rarius viris peccant; an vinum & spirituosi liquores? quos itidem parcius adsument; an denique vigiliarum & somni ratio, a plerisque tam exacte observari solita, ut nihil supra. Neque etiam in excretionibus, licet ab his multum pendeat, neque in majore perturbationum animi potentia, per se singularis hujus miseriæ culpa hæere videtur; nam viri quoque gravioribus animi adfectibus sæpe percelluntur, & præterea in tenendis Diætæ regulis incautissimi subinde in victu, motu, vigiliis nihil

sibi

fibi moderantur, cum cælo nebuloso vel aspero gelidiorē feras
magno impetu indagare & persequi, sub dio pernoctare, & a-
liquin equitatione cæterisque exercitiis equestribus corpus
vehementer & inequaliter concutere, aut domi conviviiis &
comotationibus in seram usque noctem protractis indulgere
lubeat. Atque hi tamen, etsi tot errores committant, eorum-
que pœnam interdum gravi morbo persolvant; rarius egro-
tare solent fœminis de majori semper debilitate conquerenti-
bus. Quapropter Tibi aliisque meditandum relinquam, an
non primus tantorum malorum ortus maxime otio seu nimie
corporis quieti debeat. Apertum enim est, fœminas auli-
cas a teneris fere annis quiescenti nimium vitæ adsuescere, ac
sedendo, colloquendo, legendo, & non nisi molliter deambulan-
do, plurimum temporis consumere; neque minus liquet, quan-
tum hæc diuturniore consuetudine præ aliis valeant ad sanita-
tem ledendam. Nam ut omnium actionum vigor in homine,
nisi alacrius identidem excitetur, otiano paulatim remittit
ac deficit; sic & inde in vitalibus stomachum languescere, se-
& excretionum varia impedimenta, humorum stagnationes &
post pubertatem sensim menstruorum vitia pluribus deinde in-
commodis stipata existere necesse est. Porro natura, dum ani-
mus ad alias res sub otio exquisitius notandas & speculandas
advertitur, multisque simul præjudiciis & ideis de tuenda va-
letudine sollicitis obruitur; vitalem actum hinc non ita promte
administrat, & cum quotidie turbatur, crescentique periculo oc-
currere satagit, omnes sensuum nervos acrius intendit ad domi-
cilium suum quocunque modo defendendum & custodien-
dum.

18
dum. Ex quo fit, ut hujusmodi persone jam eo vehementius ab
externarum rerum impressione adficiantur, quo magis antea
inclementem auram, & duriusculum victum laboribus con-
junctum &c. evitarunt, adeoque in magnam sensibilitatem
ulteriorum malorum genitricem, & varia medicatione plerum-
que augetem incidant. De quibus non attinet plura dici,
ne modum epistolæ excedam; illud exploratum est, ab agili
vitæ genere constantius suscepto, hæc omnia efficaciter præcave-
ri, in quo etiam matronas illustres & consilio obsequentiores,
cum nullum ex aliis remediis levamen capere possent, unicum
dolorum & adflictionum suarum lenimentum reperisse constat.
Sed ne longior sim, desino, Tibique Candidate dignissime, in his
non æque semper gratis aliisque consiliis & auxiliis conser-
vande & redintegrandæ hominum valetudini destinatis suc-
cessus adprecor felicissimos. Nec dubito quin eos habiturus sis,
si supremi nostræ artis Antistitis ope fulciaris, ejusque gratiam
ubique exorandam, voluntatem devota mente venerandam esse
serio cogites. Huic Te ex animo commendatum volo letissi-
mumque in patriam reditum exopto. Vale Dab. Hala

d. 19. Octobr. MDCCXXVI.



